

50 R.

Q. D. B. V. 11

DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,
DE
**NATURA
ABSOLUTIONIS
EVANGELICAE**
NOSTRORUM TEMPORUM CAUSA
INSTITUTA,
QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPES REGIO ET ELECT. HEREDE,
PRAESIDE
MARTINO CHLADENIO,
SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE P. P. NEC NON ALUMN.
ELECT. EPHORO,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQUENDI
D. XVII. MART. A. O. R. MDCCLXII.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS
DEFENDET
M. JO. CHRISTIANUS BUCKIUS,
HACTENUS ECCLESIAE TORGENSIS SYMMYSTA, NUNC EJUSD.
PASTOR PRIMARIUS AC SUPERINTENDENS
DESIGNATUS.

VITEMBERGAE, LITERIS GERDESIANIS.

ASSOCIATIONIS

ASSOCIATIONIS
ASSOCIATIONIS
ASSOCIATIONIS

ASSOCIATIONIS

ASSOCIATIONIS

ASSOCIATIONIS

ASSOCIATIONIS



Moderatore Christo!

De

Natura absolutionis Ministri
ecclesiae,
DISPUTATIO INAUGURALIS.



Uaestio non proletaria est aut inutilis,
sed recte confecta multum solatii ani-
mo confitentium ingenerat: Utrum
absolutio ministri Ecclesiae sit saltem de-
clarativa & annunciativa, remissionis
peccatorum divinae, an vero ipsius etiam
collativa? & qualis sit influxus mini-
stri in illum absolutionis actum, in or-
dine ad causam principalem? Utrum instar organicae causae
saltem moralis, an vero physicae influat effectumque producat?
Utique vera sententia hic tenenda est, & animus ex verbo
DEI informandus, ut nec in unum nec alterum latus de-
viet ac declinet, sed quid de ministerio, ejusque divina vir-
tute habendum sit, sicuti confessurus illud accedat, & re-
missionem peccatorum suorum desideret, certo cognoscere
possit. Cum vero in hoc arguento non solum quondam
Fanatici varii generis veritati obviam iverint, & prius quae-

stionis membrum affirmaverint; posterius affirmantibus omnibus reliquis, qui doctrinae puritatem unquam asseruerunt: verum etiam hodie nonnulli easdem Fanaticas vias terant, & se rebus Ecclesiae bene sic consulere credant: hoc equidem nobis erit satis negotii, ut argumenta ipsa expendamus, prout ea satis operose, ad aegre faciendum ecclesiae nostrae, ab autore Antibarbari P. I. p. 123, seqq. comportata & adstructa videmus. Tametsi enim illa exercitatoribus parum aut nihil negotii creare possint, quandoquidem vel contra Socinianos dudum hoc negotium a nostratis confectum erat: Opus tamen est dilui, quae intermixtis tot scommatibus, (quae tamen autoribus suis relinquuntur) perpetram noviter dicta & repetita sunt; & argumenta ista praeterea absque aliquo βιαιῷ invertenda erunt, ad veritatem ipsam tuendam, aliorum quoque causa, qui hoc in gravissimo fidei momento animum cupiunt habere pacatum & tranquillum: Executuri vero hoc negotium sumus per Positiones nonnullas, quibus explicationes atque argumenta subjiciemus; DEI cuius verbum veritas est, cujusque solius gloria quaeritur, praesidio suo nos suffulciat! Amen.

POSITIO I.

Sententia circa absolutionem Ministri Ecclesiae unica orthodoxa ac verbo DEI congrua est, quae medium tenet inter Pontificios ab una, & Reformatos, Fanaticos, Socinianos aliasque errantes, ab altera parte. Illinc evitat ac respuit absolutionem δινασινὴν & judicariam: Hinc remotam vult absolutionem ἀνενεργητικὴν putatitiam, ac nulla realitate constantem, saltem ac nude isopikὴν, mere annunciativam & tantum declarativam.

Ἐκθεσις

Eusebius.

§. I. Ante omnia illud utrinque in confessio esse putamus, DEUM in universo negotio salutis hominum *non abso-*
lute sed ordinate, certis mediis & organis interpositis negotia
sua agere atque suscipere, nisi quis plane verbum, Sacra-menta,
ac Ministerium illa dispensans, velit impudentissime elimi-
nata, quod ne crassissimi quidem Fanatici tam violenter ac
crude facere ausi sunt, ut nullum plane locum inter media,
& in ordine salutis, illis concederent: Poterant enim dicta
Scripturae illustrissima oculos satis ferire qualia Rom, I, 15. 16.
I. Cor. I, 21. I. Cor. IV, 1. V, 3. 2. Cor. III, 3. 6. V, 20. multisque
alii locis occurunt.

§. II. Conceditur praeterea illum ordinem a DEO ser-
vari libere & absque ulla interposita coactione, ita ut quicquid
poteftatis mediis ac instrumentis tribuit, ipsi foli sit & maneat
principaliter tribuendum, atque ab ipso dependeat: Hinc
*prout Salva sua *autoxaropla*, uti verbo ac Sacramentis illu-*
minandi, regenerandi, iuftificandi ac renovandi vim indidit,
ita & Ministris, qui illud verbum dispensant, potestatem ali-
quam concessit, conferendi illud, quod verbum & Sacra-menta
continent, quorum non esse referendam saltem regene-
rationem, verum etiam ipsam peccatorum remissionem, sive ab-
solutionem, deinceps videbimus dilucidius.

§. III. Enata est exinde distinctio jam omnibus Theologis
orthodoxis recepta & heterodoxis etiam, non tamen genui-
no sensu usitata, inter potestatem absolvendi a peccatis
**autoxaroplin*, quae Numinis folius est; & *dianovum*, quae mi-*
nistrorum est; Hae duae potestates sibi nec oppositae nec nu-
mero diversae sunt, sed est una eademque potentia, quam
DEUS per ministrum suo modo cooperantem exercet, ita ut
non saltem credendus sit docere verbum, praebere Sacra-

menta, aut fructum eorum ipsis annunciare, verum sub ipsa annunciatione simul actu conferre : Ita salva subordinatione illa potentia tribuitur DEO a Petro 1. Petr. I, 5. quae tamen alio loco etiam fidei, verbo, Sacramentis, nec non ministris assignatur 2. Cor. XI, 21. XII, 9. 10. 12. 2. Cor. XIII, 3. 4.

§. IV. Si itaque remanet homini ministro potestas quedam organica, salva illa autocratorica, quae DEO competit, erit sane non externa sed itidem interna, etiamsi verbum praedicatum ab extra aures feriat : Quomodo enim posset dici regenerare homines, imo salvare, nisi illa operatio, perinde ut verbi ipsius, esset interna & physica? Male itaque in Anti-Barbaro subordinatio illa sic explicatur, p. 524. quod DEUS ductui suo interno subordinaverit ductum externum & intermedium per homines: Quasi intermedius ductus non perinde sit internus, sed externus saltus: aut quasi alius & non potius idem sit ductus quem DEUS & minister suscipiunt: feremus, si a Fanaticismo talia liberari possint.

§. V. Neque recteformatur controversiae status in Prop. I. & II. p. ead. in I. enim dicitur: *Solus DEUS peccatorem iustificat, ipsique peccata remittit*; addi debebat, potestate nimirum *autocratiquum* & tanquam causa principalis; Absque limitatione enim ac simpliciter, ex ipso Scripturæ testimonio, non procedit. Propositio II. sic se habet: *Remissione divinae subordinata est organica ejusdem DECLARATIO per homines ad homines*: Cum tamen sic se debuisse habere: *Remissione divinae subordinata est organica ministri hominis remissio, potestate nimirum ductuorum, tanquam Causae minus principalis s. instrumentalis, & deinceps demum dispici, an illa potestas remissionis peccatorum in reali collatione, an vero nuda declaratione consistat. Jam vero mox infidiose intruditur declarationis vox, tanquam jam utrinque concessum & confectum sit, remissio-*

missioni peccatorum a DEO factae nihil aliud subordinari ratione Ministri, quam declarationem illius remissionis; quod tamen falso supponitur, quando scribitur de secunda illa propositione: *Hanc non minus referre possum inter concessas, quam primam;* Siquidem nisi quis perversam in indicando inire viam velit, facile penetrabit, hoc quod caput cause est, de qua disquiritur, inter τὰ διδόεσσα aut αἰτηεσσα referri minime potuisse.

§. VI. Constat itaque & ex utraque parte confessum est aut saltem esse debebat, nisi plane coecutire velint ἐι αὐτιλέγοντες, potestatem remittendi peccata ministerialem simpliciter non repugnare potestati divinae, sed esse eandem, eo saltem discrimine, quod per homines exerceatur. Nunc enim pressius inquirendum, num detur modus potestatem illam definiendi, quo injuria fiat in alterutram causam eam exercentem, aut etiam utramque. Sic enim protinus elucecit error Pontificiorum, quo injuriam causae principali inferunt, nimis in altum evecta ministeriali, ea que in thronum judiciale exaltata, ita ut credant juxta auspicia ac tenorem Concilii Tridentini Sess. XIV. c. IX. anathema eum esse, qui non sibi persuadeat absolutionem Sacerdotis, quam Sacramentum dicunt, esse actionem judicialem. Hinc tot aliae absurdæ opinione de dimensionibus peccatorum, eorumque aestimationibus, ac indictis & impositis poenitentiis, seu mulctis, quae nonnunquam aere redimi, & indulgentia impetrari potest: in quo momento mysterium ingens Babylonicae iniquitatis repositum est, ut vel ex uno B. M. CHEMNITIO, quem non sine intimo dolore in Anti-Barbaro ad malam causam obtorto collo, & tantum non ex sepulchro reclamanter, tractum fuisse infra videbimus, satis patet, qui unus omnium illam indulgentiarum materiam ex fundamentis excusit. P. IV. Ex. Concil. Trident. Hic enim nolumus illi rei immorari.

§. VII.

§. VII. Extremitas sane est haec doctrina Pontifica, quam nemo emoliverit, quomodo enim esse judex potest, qui nec *καρδιογνώσης* est, nec alia acta atque probata habet, quam confessionem peccatoris, quam si ad omnes circumstantias judicis instar exigere velit, ultra muneris sui horizontem egreditur, si vero ex confessis judicare visum ipsi fuerit, perinde falli poterit, ac nihil tandem aliud poenae loco ipsi imponet ex lege Papali, quam satisfactionis aliquid, aut poenitentiae quam vocant, talemque absolutionem deinceps impertiet, quae instituto illi conveniens est, nimirum liberationem a poena ecclesiastica, pro illis peccatis, quae confessione enumerata sunt, reliqua enim adhuc sub reatu manere, ipsius etiam Concilii Tridentini testimonio constat. Manet itaque talis absolutio cum praecedanea Confessione auriculari tormentum conscientiae, ut infinitae DEO agendae veniant grates, quod inter reliquas fermenti portiones, etiam haec per ipsius gratiam B. LUTHERI opera fuerit abrogata, ita ut in ejus & successorum Doctrina, quae cum hac judiciali & arbitraria absolutione & Conscientiarum coactione nihil plane commercii habet, quicquam desiderari nequeat. De qua re deinceps pluribus agemus. Conf. ex Reformatis JOH. DALLAEUS de *Confess. auriculari* L. I. c. VII. infra a nobis corrigendum: ex nostratis B. LUTHERUS *Conc. de Absolutione & Sacr. Coenae* T. VIII. Altenb. p. 883. scqq.

§. VIII. Ad alterum itaque extremum ablegamus ab iis, qui in Thesi recensentur, Heterodoxis, & qui illis quasi re bene gesta adhaeret, Autore Anti Barbari: Facile siquidem est ab uno ad alterum extremum delabi, ita quidem, ut ipsum nonnulli Pontificii, ecclesiae suae placita perosi, ad illud τὸ ἄνγον contrarium fuerint delapsi. Sic INNOCENTIUS GENTILETUS JCtus Gallus, in Examine Concilii Tridentini, ad Canonem citatum ubi commentatur, p. 119. Canonem ali-

aliquem ex Jure Canonico petitum refutationis loco subjugit: *Verbum DEI dimittit peccata; Sacerdos est judex* (i. e. minister, inquit glossa,) qui quidem suum officium exhibet, at nullius potestatis jura exercet. Vides paralogismum facile se prodentem, quasi qui judex non esse posse, & dimittere peccata instar judicis, propterea nullius potestatis jura exercere posse. Datur enim tertium, nempe *Collatio ministerialis absolutionis*, seu remissionis peccatorum, quae a conscente vera fide, sicut in nomine DEI pronunciatur & per pronuntiationem donatur, etiam acceperatur.

§. IX. Ad illud extremum delabuntur, & ad eundem lapidem impingunt omnes Reformati, quotquot in scriptis de absolutione mentionem injecisse meminimus: ita tamen, ut nonnulli conscientia veri se torqueant, & extrema malint subterfugere, paucissimi adeo impudenter se gerant, ut aperto marte efficaciam absolutionis ministri in totum negent, quod tamen nunc Theologi, qui Lutherani videri solebant, audacter in se suscipiant. Ipse DALLAEUS, quanquam sua scholae hac ex parte adhaereat, interea non plane putavit abstinentum locutionibus APPLICANDI & IMPERTENDI remissionem peccatorum, Ita L. I. c. 7. p. 38. dicit: ministros tanquam Gaduceatores ac praeeones poenitentibus veniam ac remissionem peccatorum, incredulis vero ac impoenitentibus condemnationem ac poenam promulgare, & banc vel illam diversis hominibus, sive publice & in genere pluribus una congregatis, sive seorsim singulis impertiri atque applicare, metu vero addidit ad postremam vocem, ut sic dicam, ne nimis aliquid peccare videretur in suam thesin, quam defendendam semel susceperebat, *jus illud remittendi & retinendi peccata nihil aliud esse, quam NUDUM legatorum, nuncio-rum & praeconum officium.*

B

§. X. Ne

§. X. Ne vero intactam credamus hanc controversiam, a Reformatis puriori ecclesiae motam. Patebit infra, neminem nostratum, optimorumque Theologorum, fuisse, qui hanc ipsorum sententiam, non toto pectore fuerit determinatus; Speciminis loco vel nostrum Praedecessorem beatissimae memoriae BALTH. MEISNERUM adducimus, qui in Colleg. Adiaphoristico hunc errorem imperterritu calamo profligavit Disp. VII. Non vacat nobis excutere, quae ad eundem sonum ingeminant SPANHEMIUS, RYSENIIUS aliqui, nisi quod non parum doleamus, HERM. WITSIUM, Virum suiae ecclesiae non postremum, ubi in Exercit. XXV. in Symb. Apostol. de Remissione peccatorum tractationem suscipit, satis fluctuabundum de illo argumento solatii alioquin plenissimo scripsisse, & de remissione per ministrum impetranda, ne verbo quidem mentionem injecisse, ne forte scena, cui inserviendum erat, aliquid documenti inferreatur. Quanto melius ac praestantius Divus Pater LUTHERUS! (cujus Scripta, utinam non ita perverterent, qui hodie veritati oblictantur!) Quum enim in Catechismo majori de illis verbis meditatur: CREDO REMISSIONEM PECCATORUM, non diu, ut Witsius, circumvagatur cogitationibus suis, ubi sit quaerenda illa remissio, sed ad Ecclesiam & Christianitatem se confert, ubi per verbum, Sacraenta, & absolutionem, quae illic haberi possint, sperat se illam liberanter consecuturum p. 499, seq. Recte quidem: quis enim nisi devius, ministri prædicationem, sive omnibus, sive singulis fiat, ita putet esse inanem, ut nihil remissionis peccatorum, tum lapsis, tum stantibus actu conferre possit?

§. XI. Memorabile est, Socinianos hac in parte idem cum his dicere, idem sentire: nimurum absolutionem ministri saltem esse declarativam, annunciativam & significativam, ac ita comparatam, ut praeter verbum DEI sibi aliquid arrogent,

gent, si homini ministri remissionem peccatorum largiri audiant. Hinc totam Confessionem privatam, non saltem auricularem, quae in Papatu est recepta, verum etiam nostrae ecclesiae solennem, pro reliquiis Papalibus venditant, tametsi non pari omnes impudentia: quod annotat B. SCHERZERUS Colleg. Anti-Socin. Disp. XC¹. & CXXIV. ac conatus ipsorum animose retundit, ut alios, qui idem e nostris tibus, hujus etiam Academiae, fecerunt taceamus. Imo ita certissime persuasi sumus, neminem fuisse aut esse cordatorum Doctorum unquam in nostra ecclesia, quin hanc aliasque extremitates sectantes Socinianos, imo etiam, qui illos hoc in negotio sequuntur, Arminianos, toto animo detestati fuerint, & etiamnum detestentur. Mirum quod illorum πολυθεύλητον, potestatem remitte ndi peccata, quam habuerint Apostoli cum morte ipsorum in coelos ad Christum rediisse, (quasi Christus non intersit ministris absolvientibus in terra) non adduxerit simul inter rationes suas Autor Anti-Barbari, qui aliqui non modo tam pulchris vestigiis egregie insistit, verum etiam in effronti assertione tam perversi dogmatis coram facie Ecclesiae ea fere superat.

J. XII. Sociant se his Fanatici eorumque cohortes magno sane numero, & dum Scyllam Pontificiam evitare cupiunt, in aliud hoc extremum Charybdis instar delabuntur, & de absolutione ministri saltem annunciativa ac declarativa verba multa faciunt; & tandem eo descendunt, ut re ipsa huic annunciationi nihil plane realitatis relinquant. Ita Valent. Weigelius P. II. Postill. in Homil. D. Quasimodog : Die von Menschen erwehlet oder gesandt seyn / bringen keinen heiligen Geist mit sich / ihr absolviren und Predigen ist nichts! Nihil in ore ac scriptis eorum omnium frequentius, quam exaggeratio inefficacie ministerii, suggillatio confessionis privatae, & quae ad eam pertinet, absolutionis; ita ut inter fundamenta

Theologiae Fanaticaem contemtum ministerii ex merito refe-
rat NICOL. HUNNIUS de Princip. Theol. Fanat. C. III. p. 25.
Mireris vero, quod alia via quae postica velut est, cum Pa-
pismo rursus se jungant, dum ex confessione priuata sicubi
eam admittant, merum tormentum & carnificinam consci-
entiae faciunt, hominesque antequam absolutionem imper-
tant, ad cavenda aliqua, nonnunquam prorsus indifferen-
tia, aut plane ejuranda adigunt. Quem tamen parallelismum
Papismi & Enthusiasmii, qui in aliis etiam momentis se con-
spicuum reddit, ductu Verbi DEI propediem fusius oculis
lectorum ac judicio sistemus.

POSITIO II.

*Est vero illa media tutissimaque verboque DEI
consona sententia, quae in nostra ecclesia constan-
ter servatur, gaudere ministros verbi influxu, in
remissionem peccatorum auditoribus impertiendam,
reali, effectivo & physico, atque sic absolutionem
ipsorum esse exhibitivam, realiter promissi benefi-
cii applicativam, & collativam, ita ut considera-
tio organi non potestatem evertat, sed potius sta-
biliat.*

Eⁿd:

§. I. Positam inter duas extremitates sententiam ortho-
doxam & unice veram esse patebit ex sequentibus. Limita-
tiones quas ob statum causae formandum, & dilucidandum
adposuimus cum aliis orthodoxis, non sunt cerebri humani
inventa, sed ex ipsa analogia fidei, quam Scriptura suppedi-
tat, ac doctrinae hujus natura, fluunt. Falso itaque Autor
Anti-Barbari *errorum appendices veritati adjunctos* putat;
Nam

Nam sicut adversariis licet uti voce nude *declarativa*e *absolutionis*, quod alterum extremum est, ita licebit nobis adhibere vocem *Collative*, ad distingvendos nos ab illis, & exprimendam veram naturam & constitutionem *absolutionis*.

§. II. Quia itaque fronte ea, quae invicem contradistinctivuntur & directe opponuntur, mutuo permiscere ac confundere potuerit, non videmus. Verba sunt: *Quid vero Collatio (si quis eam abusive ita vocare vellet) instrumentalis sive ministerialis & vicaria est aliud, quam declaratio?* Nam simulac voci *Collationis* ac *effectivis* additur vox *ministerialis* & *vicaria*, eo ipso statim ea restringitur ad sensum *declarativum*, ipso *collationis* honore soli principi DEO reservato. Nec vero per se idem esse aliquid *declarare* ac *conferre*, *effectivum*, ipse probe intelligit, qui doctrinam orthodoxam & quidem tanto inaudito molimine aggreditur; cur itaque ea Lectoris confundendi gratia permisceret? Nec etiam addita vox ministerialis ac vicaria, evertit propterea naturam genuinam vocis *Collationis* atque *effectus*, ita ut deinceps abusive saltem sic dicatur: patebit enim infra, sicut non abusive Apostolus regenerat renovatque, ita eum non abusive, sed revera, conferre remissionem peccatorum. Ut itaque concedere possumus *collationem* esse simul *declarationem*, ita concedi salva veritate nequit, esse nihil aliud quam *declarationem*, vel ut exprimitur eodem loco, tantum *declarationem*: *Esse vero aliquid declarationem simpliciter & cum sensu exclusivo, inter se quid differant, quis non animadvertis?* Cui itaque bono servire debebat, (obtestamus autorem,) hanc veritatem coelestem sic studio intricare?

§. III. Propter has dissentientium strophas, quibus videri volunt nobiscum loqui, non vero sentire deprehenduntur, sequentibus distinctionibus rem explanare tum veteres ex nostratis coacti fuerunt, tum nos ipsi cogimur, ut postillam

priorem, inter potestatem remittendi peccata *autonpatoginū*,
seive absolutam, quae DEI solius est: *diasinū sive judicariam*,
 quam & nos ipſi ſupra remotam voluimus, Pontificii vero ſibi
 vindicant: & *oçyavini*, *dianovini*, *legatariam*, instrumenta-
 lem, & ministerialem, quam nos assignamus Ministris Eccle-
 ſiae; alias etiam adhibeamus, que hujus diaconiae, legatio-
 nis, & instrumenti, ſeu ministerii naturam recte repreſen-
 tent, & ſententiam noſtrā ab adverſariorum mente fecer-
 tant. Non male eos habere poterit vox *Potefatis*, hoc enim
 modo mitigata, ut nobis ſit dependens, spiritualis, ministe-
 rialis, organica, certis legibus determinata, nihil in ſe habet,
 quod bilem movere poſſit, cum plane biblica ſit, niſi quis
 omnem frontem depoſuerit, & ministro verbi nihil praeter
 alios homines, aut a D E O , aut ab ecclēſia demandatum,
 & ad expediendum concreditum fuſſe putet.

§. IV. Solemus etiam voce *influxus* uti, ad descri-
 bendam naturam cauſae tum principalis tum ministerialis, ad
 remiſſionem peccatorum concurrentium: Utrique enim in-
 fluxum tribuimus in effectum producendum & gignendum,
 eo tamen ordine & proportione, qua inter cauſas illas fieri
 par eſt. Utrique tribuimus influxum *verum atque realem*, ita
 quidem, ut ſecernamus imaginarium ac mere verbale: Tamenſi enim per verbum praedicatum fiat, rem ipsam ta-
 men verbo comprehenſam & oblatam conferri a ministro
 statuimus. Tribuimus porro utrique influxum *physiū*,
 non qua ſupernaturali contradiſtingvit, ſed qua opponitur
moralī, utpote qui neque de D E O nos convertente, neque
 de verbo ejus & Sacramentis, neque etiam de verbi mini-
 ſtro praedicari recte potheſt, uti quidem mallent Fanatici,
 qui ð monere, ſvadere, rogare, mandare, remittere, rege-
 nerare Ministrorum verbi, pro talibus actionibus mere
 moralibus habeant, ex quibus effectus revera non fluat, ſed quo-
 dam-

dammodo saltem ipsis imputetur; quo tamen vel unum dictum Paulinum refutaverit, quo Timotheus aliquique ministri dicuntur auditores vere ac realiter facere salvos. i. Tim. IV, 16. ut alia oracula hic taceamus,

§. V. Absolutionem quando exhibitivam facimus, *nude significative* eam opponimus. Haec enim est nudorum verborum expositio, nihil rei simul praestans, sed rem jam collatam aut conferendam adhuc saltem nuncians. Hoc volunt adversarii, fanaticismus sic incrustantes. Nisi enim minister per verbi praedicationem conferat remissionem peccatorum, DEVS illam conferat homini poenitenti immediate, necesse est; Atqui DE VM nobiscum immediate agere velle falsum est: Ad quid enim verbum & ministerium? Si hoc: cur actio absolvitoria ministro denegatur, qui tamen in ordine causarum se habet, & aut revera simul influit in effectum, aut cause nomen plane non meretur? Dicimus itaque id, quod per verbi praedicationem auditoribus sive publice sive privatim offertur, non solum annunciarri, & significari, verum etiam exhiberi & donari.

§. VI. Diximus realiter applicativam. Ludunt enim qui veritatem impugnant, & verbalem saltem applicationem promissionum divinarum intelligunt. Falluntur vero ac fallunt. Verbalem esse concedimus, si vocem de medio intelligis & lance velut, in qua Deus bona missa hominibus offert. Verbum enim currus est, quo utitur ad adventum suum celebrandum. *Mere verbalem* negamus, repugnat enim natura verbi, quod nunquam sine virtute est: Si hoc: absolution illa ministri erit realiter applicativa, & per ipsum verbum praedicatum promissorum bonorum traditiva.

§. VII. Diximus collativam, eodem sensu quo nominavimus applicativam, quatenus non opponitur declarativa*in se*, ipsa enim collatio remissionis per declarationem seu praedica-

dicationem instituitur, sed declarativae cum adjecto, quatenus NUDE aut NONNISI declarativa dicitur, ab adversariis. Sicut enim Deus ipse homines convertit non absolute, sed per voluntatis suae declarationem seu praedicationem, quae tamen simul offert, confert & obsignat rem declaratam: Ita ministrum verbi, cuius ore haec declaratio instituitur, nihil circa ipsam collationem, sed nudam declarationem habere negotii, negamus.

§. VIII. Hinc facile intelligitur porro, quod, quando inter nostrates nonnulli voces declarandi, annuncianti, applicandi sine adjecto adhibuerunt, nequaquam voluerint sensu exclusivo eas aut capere ipsis, aut capi a quoquam, & sic mentem ipsorum foeditissima ratione perverti; sed aut ipsis cum Pontificiis res fuit, ubi illas voces judicio ipsorum arbitrio, quod adscribunt ministro ecclesiae, praecipue Episcopis & Papae, directe opponere voluerunt, aut etiam naturam absolutionis a medio describere animum induxerunt, quod est expositio & annunciatio voluntatis divinae, in verbo patetfacta, idque extra pugnam cum Fanaticis aliisque constituti; longe enim aliud esse, si quis dixerit absolutionem esse annunciationem, & si dixerit esse nonnisi annunciationem aut declarationem verbalem ipsam remissionem non conferentem. Prius dixerunt pii confessores: Alterum constanter sunt detestati.

§. IX. Ita quando ministrum hic agere tanquam organum dicimus, idemque omnes recte sentientes jam olim dixerunt, quis afferet cum fanaticis adversariis, instrumentum illud esse ἀσπρον, & non potius ἐνεργητικόν, imo ἐνεργές, quod non modo potestatem & facultatem habet agendi, verum etiam actū operatur & agit? quid vero est quaeso, quod agit? Numne saltem ista intelligenda actio, qua os aperit, labia dilatat, proloquitur, manus imponit? quis credit istud?

Ita-

Itaque plura agit? quaenam? ipsam sane peccatorum remissionem confert & largitur, alias actiones & operationes prorsus ignoramus. Causae sunt in promptu, distincta enim longissime sunt Instrumenta *απολύτωσις*, separata sive sibi relata, & *συνδεδυσμένα*, unita, & conjuncta cum causa principali. Impudentissimus sit qui ministrum in actione ministeriali constitutum ex posteriorum serie excludat: Tutissimum enim est ordinationem divinam hic attendere, & non curiosis oculis lustrare ministrum, sed eum, cuius partes agit, e-jusque nomine, vi atque auspicio instructus non mera aut nuda verba pronunciat, ac conscientem ad Christum remittit, (hoc enim quemlibet Christianum facere posse quis non videt?) sed quod dispensandum ipsi tanquam Oeconomico commissum datumque est, peccatori poenitenti, aut poenitentiam suam statumque animae exponenti, impertitur.

§. X. Obsignamus hanc positionem, antequam ad rationes excutiendas nos conferamus, ut videant Adversarii non novam esse hodiernae cathedrae nostrae doctrinam, & irasci tandem desinant, verbis B. HULSEMANNI, viri eo judicii robore praediti, ut solitus fuerit, antequam aliquid scriberet, calumnum in mentem intingere, ac probe deliberare: *Dicimus*, ita scribit Praelect. F. C. Art. X. p. 330. *quam vere & proprie Sacerdos conferendo baptismum abluita peccatis, porrigit panem benedictum porrigit Corpus Christi, non sola significatione ablationis a solo Christo factae, neque sola significatione porreptionis in Eucharistia per solum Christum factae: Ita absolvit quaque non per NUDAM annunciationem & significationem abolutionis a solo Christo factae, sed per VERAM & REALEM OPERATIONEM causae subordinatae & mediae a Christo institutae, quo sensu Pastores & se & suos auditores dicuntur facere salvos sive salvare I. Tim. IV, 16. Quemadmodum & Judex opipidanus vel paganus, non alia jurisdictione gaudens, quam*

C

acce-

accepit a superiori, vere tamen cognoscit, judicat, absolvit damat. Quibus verbis B. HULSEMANNI an vero Autoris Anti-Barbari assertis Fanaticis : *Organicam seu Diaconicam hanc remissionem declarationem nequaquam extendendam esse ad ipsam collationem: seu Organicam remissionem non esse collativam, secundum genuinum scripturae sensum, sed tantum declarativam, consilientem in speciali evangelii annunciatione & applicatione, debeat ac malit subscribere Vir sobrius, non diu haesitabit.* Unde enim evincet remissionem peccatorum non esse ipsam annunciationem seu applicationem promissionum & quidem realem ad singulare aliquod individuum?

POSITIO III.

Non infringit sed firmat potius hanc veritatem I. consideratio pia & attenta attributi & honoris divini.

E' u. d:

§. I. Dum argumenta adversus veritatem militantia examinamus, praestabit ea simul ad veritatem adstruendam eo majori robore adhibere, quo magis ea unica est, & omnia ipsi sponte non coacte serviunt. Una enim est analogia fidei & articulorum cohaesio, ita ut illa laxata, male quoque argumenta respondeant rei ad defendendum perperam susceptae. Lustrabimus itaque exercitum hostilem, τὰ ὄχυρωματα, λογισμος, & οὐλάρα επαιρέμενα κατὰ τῆς γνώσεως τῷ θεῷ, 2. Cor. X, 5. quibus eum oportebat esse instructum qui quatuor cum primis Articulis fidei nostrae, de illuminatione, Justificatione, Confessione sive absolutione & Sacramentis, bellum tam atrox, proh dolor! indicturus erat.

§. II. Non itaque infringit positionem ecclesiae nostrae primum momentum ex adverso nobis collocatum ab attributo & honore DEI petito : *Soli DEI est, dona gratiae reip'sa*

reip'sa conferre, seu dare atque exhibere. Quem honorem qui sibi tribuit, sibi vindicat aliquam divinitatis participationem. Id quod sacrilegium est. Si ex ingenio talia scripsisset, solus culpam grauiissimi peccati ferret, quod si cauillationem dixerimus mitiori forte nomine compellabimus. Nunc ubi pene iisdem verbis causam hanc pessimam defendere ausi sunt Reformati a MEISNERO Lib. cit. p. 128. & Sociniani SCHERZERO L. c. p. 1091. refutati, dividatur equidem portio culpae inter eum, illosque a quibus haec didicit, interea duplicatur culpa, cum non vereatur argumentum dudum profligatum coram facie ecclesiae in tanta luce evangelii adversus veritatem coelestem recoquere, & matri suae objicere: si solius DEI est absque ullo respectu, dona gratiae conferre, cui bono quaeso verbum DEI, Sacraenta, fides, ministerium? dixerit, esse illa media & organa? Recete: Erit itaque respectus aliquis ac $\chi\epsilon\sigma\tau\alpha$ mutua inter causam principalem & organicam sive medium, que efficit, ut non sine limitatione Syllogismi major propositio admitti possit: legimus enim in Scriptura *DE U M Salvare, verbum salvare, fidem salvare, Ministerium salvare, Sacraenta salvare*. Apparet enim quodlibet horum facere istud & salutem operari in suo genere ac ordine.

§. III. Non itaque sacrilegus erit, aut honorem DEI violabit, qui ut supra jam dictum, causae principali tribuat actum remittendi, & eandem etiam tribuat causae instrumentalis. Actio enim remittendi DEI & ministri numero una est, & tametsi ipse ad hanc ministerialem non sit simpliciter alligatus, ac saepe sine ministro peccata remittat, placuit tamen ipsi, ministri ecclesiae remissionem pro sua agnoscere atque declarare, Joh. XX, 23. Atque sic cadet sacrilegium in illos, qui ministrum verbi in solium DEI collocant, & ex serie causarum organicarum eximunt. Quo tamen sic

posito minor propositio seu assumptio omnino negatur, quae afferit, quod apud nos ministris ecclesiae divinitatis participatio tribuatur: ubi tamen rursus iuditur hac phras: Si enim organica & oeconomica participatio divinitatis intelligatur, qua minister assistenter aut etiam inhabitantem Spiritum S. habeat & qui per ipsum, in ipso & cum ipso operatur, nihil est absurdum illam tribuere ipsi, si vero de DEI essentiali participatione sermo sit, detestamur illam & Fanaticis relinquimus, utpote quibus frequenter in ore esse solet. In reliquum remittimus lectorem ad loca Theologorum nostrorum antea allata.

¶. IV. Firmat vero potius hoc argumentum positionem Orthodoxam. Etenim tot dicta Scripturae disertissima extant, quae declarant honorem ministro exhibitum, qua organo divinae expeditionis, DEUM ipsum sibi acceptum referre, quomodo itaque sic laedi possit? Quid manifestius est locis Matth. X, 40. Luc. X, 16. Joh. XIII, 20.

Deinceps 2) cum visum sit Numini per conciones Ministeriorum homines salvare, regenerare, ac reconciliare secum, & sic honorem suum & gloriam promovere & amplificare, quae causa sit, cur non honor ejus eo magis promoveatur, quando remissio peccatorum ductu Scripturae ipsis assignatur, minime apprehendimus. Conf. 2. Cor. V, 19. 20.

Tandem 3) non credimus quenquam fore tam absurdum, ut ministrum pro DEO adoret, tametsi certo ac recte quidem, persvasus sit ex verbo DEI, se ab ipso revera remissionem peccatorum accipere, quandoquidem facile vel simplicissimum intelligit discrimen inter potestatem principalem & subdelegatam, unde quoque

4) Si vel maxime in hac re quis cespitet atque fluctuet, Minister quilibet in absolutione impertienda instrutus est, ut addat se remissionem peccatorum dare ac conferre

ferre confitenti, non suo sed DEI nomine, jussu atque auctoritate, ad quam colendam & venerandam sic ablegatur, & omnis idolatria evitatur.

POSITIO IV.

Non infringit sed firmat potius hanc veritatem II. Consideratio sobria conditionis in homine remittente.

E' n. 9:

¶ I. Intricatissime hic proceditur ab Autore Antib.
p. 525. *Homo est tantum instrumentum, de quo valet haec regula hermeneutica, Talia sunt praedicata qualia permittuntur esse a suis subjectis, sive natura & conditio subjecti explicat naturam ac sensum praedicati. Jam subjectum est NUDUS & INOPS HOMO, qui sine idolatria eubei non potest ultra nobilitatem, naturam & conditionem INSTRUMENTI AC MINISTRI. Si vim argumenti respicias, prodibit facile mens argumentantibus: Objicitur enim: quisquis sit nudus & inops homo, eum omnino non ultra instrumenti ac ministri dignitatem debere extolli: ac subsumitur de ministro ecclesiae. Quis vero unquam non concessit id, quod tandem injungit hujus propositionis Conclusio emergens? Quis unquam Orthodoxorum ultra instrumenti ac ministri nobilitatem & conditionem hanc evectam cupit? Probandum sane erat absolutionem collativam id intendere! Cum nihil aliud quaeramus, quam ne organi illius divinitus ordinati, vis & ἐρέγγεια in absolutione imminuat atque elevetur, sicut enim minister ultra sphaeram suam non est tollendus, ita etiam in contemptum Divini Numinis, cuius minister est, non est deprimentus. Hoc vero fit satis atrociter, quando stylo minime spiritui sancto recepto asseritur: Subjectum absolvens esse NUDUM & INOPEM hominem. Negamus sane hanc assumptionem; Scri-*

C 3

ptura

ptura longe aliter rem exprimit 1. Cor. IV, 1. 2. Cor. IV, 1. ubi humillimus Apostolus equidem se non obliviscitur esse hominem, non tamen NUDUM & INOPEM hominem se esse dicit, sed oeconomum Dei se vult haberi, fatetur sibi divina misericordia obtigisse sanctum divinissimumque munus: Estne hoc esse NUDUM & INOPEM hominem? quid abjectius de ministro verbi dici poterat?

§. II. Non itaque infringit haec objectio sententiam Orthodoxam, si enim objicitur: *minister est instrumentum!* dictum est supra, quod instrumentum tale Dei sit σύνεργον ipsius, non ut mera tuba, per quam aliunde flatur, sed etiam minister ipse buccinans est. Objiciatur: *Est nudus & inops homo?* Respondeat pro nobis Apostolus: in illo FRAGILI VASE thesauro incredibilem, & pondere immensum recondi, & per divinam potentiam ibi reponi ac conservari; quid vero hic aliud est, quam gratia Dei illuminatio, conversio, & ipsissima remissio peccatorum, quae cum conversione induculo nexu conjuncta est: ut nullo negotio ex 2. Cor. IV, 6. 7. ad oculum patere potest. Si objiciatur: *homo sine idolatria sic evebi non potest!* scimus, non nostrum esse aut evehere ministrum, sed jacet ante oculos divina ordinatio & cohonestatio ministerii, in qua secure acquiescimus. Novit Deus optime, quid sit idolatria; ut itaque verbum & Sacraenta amamus, colimus absque idolatria, cum Dei mysteria sint, ita absque idolatria tribuitur ministro ipsa collatio remissio peccatorum, cum Dei dispensator in domo ipsius sit, nobis vel non advertentibus aut aestimantibus. *Evidem minister non est ALIQUID* 1. Cor. III, 7. *scilicet τὸ μέγα τίς*, sicut Simon Magus, λέγων ἐνώπιον των ἑαυτῶν μέγαν, Act. VIII, 10. *est tamen ALIQUIS in τάξει δινια* 1. Corinth. III, 5. Haec verba B. Dannhaueri sufficiunt ad Paralogismum hunc, quem in Hodomor. Calv. Phant. X. p. 305. fusiis refutat, nervose retundendum.

§. III.

§. III. Firmatur vero hoc argumento adversariorum sententia Orthodoxa mirum in modum 1. quia Spiritus S. ubi cunque de ministro verbi & ministerio sermo instituitur, magnis elogijs, & praeclaris ubique interpositis expressionibus loquitur, quea non spectare possunt ad nudam declarationem & annunciationem remissionis jam factae, sed ipsam etiam ejus collationem. Ita ubi pedes nunciorum amabiles dicuntur, Es. LII, 7. & nihil praeter annunciationem istis tribui videbatur, nihilominus realis collatio simul describitur, qualis est enim oratio antecedanea, quando exclamat Propheta : *Surge Zion ex compedibus, quibus cincta fuisti*, & quae sequuntur, quam absoluciónia ? 2. quia Apostolus ipse tametsi humillimus, ubi tamen de potestate muneris sui pronunciare debet, magnifice atque gloriose de ea sentit, non sua sed Dei mittentis causa. Sic Rom. XI, 13, 14. non dissimulat se ideo gloriari de munere Apostolico sibi concessio, ut noverint quod ab illo possint *salvari*, quidni etiam *remissionem impetrare* ? qualia loca innumera occurrunt. 3. quia nusquam minister est spectandus in actione ministeriali extra Spiritus S. assistentiam & cooperationem, sed cum illa, *Atque haec est συνέργεια cuius respectu ministri Dei σύνεργοι dicuntur, ita ut εὐέργεια organi propter accidentem causae principalis conjunctissimam cooperationem & elevationem, concurrat ad commune αποτέλεσμα producendum, quod vere effectus divinus est*, ita ut Spiritus S. communicet virtutem manui & ori ministri, ut non sit communis balneator vel buccinator, sed ut ministri sint illi di ὁν per quos homines credunt, ut ab ipsis effective, seu fundatum Christus ipse ponatur, seu aliquid super aedificetur, divinos effectus producatur, ad extruendum scil. templum cuius perfectio in ipso coelo est. Ita Lyserus Syst. p. 1126, scribit, & quod generatim hic loquitur, de absolutione vult deinde intellectum p. 1131. Addemus verba B. Lectoris

ris causa: Ille ergo effectus ministerii est, dicta illa omnia (nimurum conversionem &c.) non significative, sed effective, vere & realiter, ministerialiter tamen & operariis producere, ita tamen, ut ex communi operatione Spiritus S. & ministri id fiat. Effectus 3. sunt I. Conversio, II. ABSOLUTIO, ut accipiant homines remissionem peccatorum, ubi itidem divinus hic effectus ministro convenit, ut non tantum INDICET minister, quid in coelis peragatur, quod ibi sint remissa peccata, sed EFFECTIVE in terris remittat, ita ut & in coelis sint remissa. Sic ergo in justificatione ejusdemque continuacione itidem minister operariis agit. Tertius effectus aeternam salutem concernit &c. Hactenus B. LYSERUS, in cuius verbis & nos acquiescimus, & acquiescere alios posse certissimi sumus, nisi spiritus vertiginis eos abripuerit. Sed pergendum est ad reliqua.

POSITIO V.

Non infringit, sed firmat sententiam nostram
III. Consideratio sobria naturae legatorum seu nunciorum.

Eusebius.

§. I. Mirum sane ad talia descendere veritatis inimicos. Officium nunciorum non extenditur ultra annunciationem, declarationem & confirmationem voluntatis, quam annunciandam mandavit princeps. Jam si quod beneficium conseratur a principe in subditum per ministerium b.e. si paenam promeritam ipse condonet, eumque in gratiam recipiat: Voluntas principis est collativa, ministri ministerium tantum & organicum & declarativum. Ita firmatur objectio p. 256. Talia quae hic coacervantur, recitare atque revolvare pene nos pigebat, nisi publico emolumento aliquid dandum existimaremus. Falso praesupponitur officium legatorum non extendi ultra annunciationem, & declarationem, nimurum oralem &

ver-

verbalem, de qua est sermo. Quid si enim legatus Regi alteri aut Principi sponsam adducat, aut sponsae viciissim munera splendida adferat, nonne haec est realis collatio? quae annunciationem non excludit, sed secum potius fert. quid si Legatus inter subditos munera aut spolia Principis nomine distribuat, nonne est illa *actualis collatio*, quam ipse & per ipsum simul Princeps perficit? In his, non vero in sola revelatione & annunciatione voluntatis Principis erat tertium comparationis petendum: Haec enim operatio moralis, illa vero collatio physica est, perinde ut supra diximus certo respectu absolutionem ministri talem esse. Quis enim dicat legatum saltem annunciare voluntatem Principis, ubi ipsi data est potestas, loco ipsius contrahere matrimonium, foedera ferire, pacem concludere aliaque expedire, quae realia sunt, & potestatem intrinsecam praesupponunt, tametsi illa sit & maneat organica & ministerialis.

§. II. Non itaque infringit hoc argumentum veritatem nostram: Audiamus vel B. MEISNERI verba qui dudum telum hoc ante nos obtusum reddidit, ut pudere quenquam debeat cumprimis in ecclesia nostra natum & educatum, illo iustructum in aciem prodire: *Bardus profecto esset, qui legatum principis plenariam in re aliquam agendi potestatem habentem non adiret, & ut eam, quam ex indultu Principis habet potestatem exerceret, non rogaret, si praesertim sciret, principem nulla alia ratione ipsi auxiliatrices manus præbiturum.* Quid hic culpabunt adversarii? Ita nos cum ipso ex Colleg. Adiaphorist. p. 129.

§. III. Firmat vero potius hoc argumentum Thesin nostram. 1) enim ex jam dictis patet, Legatorum non unum genus aut classem dari, notissimum enim est, quosdam esse saltem, ut sic dicam, recitativos voluntatis herilis, quosdam simul explanativos illius voluntatis, quosdam vero etiam esse praeterea

D

colla-

collativos rerum istarum, de quibus ex voluntate heri erat paciscendum; posteriori ordine gaudent ministri Ecclesiae.

2.) Probari hoc potest ex omnibus nominibus quibus insignitur ministerium aut ministri ipsi, quibusque vis collativa simul denotatur. Nec causa illa est, cur dicamus cum adversariis, cum exempli causa operarii Numinis appellantur, id solum esse operandi genus, quando ejus voluntatem annunciant, quasi illa annuntiatio nihil aliud sit quam ad summam quaedam fvasio moralis, & non potius divina salvandi virtus.

3.) Patet hoc praeterea ex illustri delegatione cum plenaria potestate remittendi peccata poenitentibus, Joh. XX, 23. qui locus sane classicus est, & sedes doctrinae totius, ut mox liquidius patebit.

POSITIO VI.

Nam infringit, sed firmat potius hanc veritatem.

IV. Consideratio formae contrariae ligationis.

E' u. 3:

§. I. Haec nequaquam est effectiva sed tantum declaratoria. Nam peccatorum reatus est, qui hominem ligat, ac DEI iudicio reddit obnoxium. Unde qui peccata & eorum reatum non efficit & confert, ille nec efficit & confert ligationem, sed hanc tantum pronunciat, manifestat, declarat, ita ut qui ligatus jam erat, se tamen pro ligato non agnoverat, nunc se habeat ipsum, ac ab aliis habeatur pro ligato. His verbis in suam causam vertit hoc argumentum, qui veritati semel obviari ire coepit. Mirum vero, quam se ipsam falsa doctrinia deserat: nec enim a natura ligationis per omnia licebit argumentum ducere ad naturam remissionis seu absolutionis, cum illa secum ferat aliquid privativi, haec vero positivi, quorum non una eademque ratio est. Interea ponamus tantisper firmiter posse a ligationis modo

modo ad modum λύσεως, seu absolutionis concludi: sane non evincitur id quod evinci volebar. Falsum enim est ministerium ligationem saltem pronunciare ac declarare, siquidem quicquid etiam Lightfootus, aut qui eum novaturienti animo sequuntur, sub hac voce quaerat, aliud nihil innuit, quam peccata non remittere imponitenti, adeoque priuare eum absolutione, & actum istius oppositum committere, qui est per legalem maledictionem tenere hominem constrictum ac convictum; hinc παράδηλος vox servitoris est παράτην, Joh. XX, 23. id est, ita tenere vincitum peccatorem, & velut compedibus ligatum, imo tradere eum Satanae, ut sub damnatione ac ira DEI nisi resipiscat, ipsi manendum ac pereundum sit. Nihil itaque quam quod damnosum est sententiae adversae, exinde fluit.

§. II. Roboratur itaque potius sententia nostra per considerationem ligationis. Uno arguento sumus contenti. Reformati enim plerique in publicis saltem peccatis, earumque publica remissione, aut etiam correctione, talem realitatem concedunt, ubi excommunicatione quadam opus esse videbatur. Hic fatentur ministerium exercere posse quandam activitatem, ac potestatem, quam vero privata delicta remittentibus denegare audent. Autor Anti-Barbari perinde sensum collativum & realem valere dicit in remissione peccatorum, cum graviore scandalio adversus ipsam ecclesiam commissorum, ubi nomine ecclesiae ex societate imponitentem ejiciat p. 533. Atqui hic non agimus de iis que minister verbi ecclesiae nomine facit, sed quea in nomine DEI agit ac suscipit. Et quid prohibet, quo minus, si quaedam peccata extantiora Ecclesiae nomine sine ejus dedecore ac praejudicio potest ligare & remittere actualiter & realiter, id etiam in omnibus possit facere nomine DEI ejusque iussu & auspicio? Nihil videmus impedimenti.

§. III. Hinc B. HULSEMANNUS, (& noscum ipso,) retorquet argumentum in adversarios: Etenim, inquit, si in delictis publicis & publice delinquentibus ligandis Sacerdotes revera ligant, & sunt proxima causa ligationis tanquam ministri, & causa subordinata cause principali sive DEO principaliter liganti imponitentem, non possunt effugere Calviniani, quia sacerdotem fateantur esse causam proximam & realem correlati oppositi, quod dicitur absolutio: Quod autem concedunt de influxu sacerdotis in colligationem & solutionem publicorum peccatorum, id necesse est ut concedant de influxu in colligationem & solutionem privatorum peccatorum, quia accidens illud loci non potest variare aut mutare qualitatem aut potestatem ministri ecclesiastici. L.C. p. 531. Verba Viri beati & cordati maluimus ipsa afferre, ut de tota re eo melius legentiibus ac considerantibus constaret.

POSITIO VII.

Non infringit sed firmat potius veritatem nostram V. Consideratio genuina status confessorum.

Eus:

§. I. Argumentum sic ducitur: *In confitentibus momentum regenerationis aut antecessit aut sequitur absolutionem. Si antecessit, per absolutionem potest quidem declarari, sed nequam conferri, quod jam collatum fuit, si sequitur, aut si plane non sequitur, nec absolutio citra ejus, qui absolvitur, conversionem potest esse remissionis collativa.* p. 526. Mirum vero genus computandi ea quae coram oculis solius DEI in corde humano geruntur. Ponamus absolutionem sequi regenerationem aut conversionem, atque habere sic conversum remissionem in coelis, quidni de novo conferri possit, quod jam collatum fuit? Eodem enim jure dici posset ne declaratione quidem opus esse, ad quid enim necessaria, ubi remissio jam coelitus impe-

imperata? Vider itaque quisquis veritati reluctatur, connexionem sibi desiderari, nam conferuntur & alia fidelibus, quae jam collata erant; ita *Gratia DEI habentibus* datur Luc. XIX, 26. *Illuminatio illuminatis* conceditur Ps. XIII, 4. Eph. I, 15, 17. Ita *Electis* datur *gratia* & *pax*. 1. Thess. I, 1, 4. qualia multa in Scriptura occurunt, ut hinc intelligamus, posse fidelem habere *remissionem in Coelis*, cui nihilominus a ministro numinis auspicio rursus conferatur in terris.

§. II. Atqui, pergit obiectio, quid si plane non sequitur conversionis momentum? *Et sic absolutio iterum non potest esse collativa.* Incongruum vero genus concludendi est ab incapacitate hominis absolvendi ad *solutionis naturam*: Potest haec esse & manere in se collativa, si vel maxime subjectum absolvendum seu confitens in statu *ληψεως* non sit, & illam collationem sibi applicari nolit. Nam incredulitas hominum DEI promissionem & ministerii absolventis vim atque efficaciam tollere poterit? Absit! Rom. III, 3. Reliqua quae hic interseruntur ad computanda momenta regenerationis, Fanaticismum sapiunt, nam ipsa etiam *absolutio ministri*, cuius prior & immediatus actus in *praedicatione* seu *annunciatione* consistit, hominem confidentem ex statu irregeniti in conditionem hominis renati translocare potest: Ita ut *oblationis remissionis* praecedat fidem, actualis collatio eam insequatur. Ulrumque una & individua actione *absolutionis* fieri potest.

§. III. Roborat vero & hoc argumentum nostram causam mirum in modum. Aut enim conversus ad confessionem accedit, aut irregenitus; si prius, eo magis collativa *absolutione* opus habet, quo magis anxie eam desideravit in confessione serio quæsivit. Novit enim regenitus & ex verbo DEI eruditus intelligit, quantum bonum DEVS in voce ministri absolventis: Θάρσει τένον! reposuerit, hinc sola annunciatione animus ejus haudquam acquiesceret,

si posterius, pauper ille est & egenus ac inops onusunque peccatis accedit, non itaque sufficiet sola annuntiatio, verum redibit negotium ad ipsam absolutionem collativam, quae non modo eum a peccatorum onere liberet, verum etiam regeneret, & prævia concione legali gratiam DEI, meritumque Christi ipsi conferat, sola itaque annuntiatio minime gentium utrobique sufficiet, quae sicutem animam non sufficienter satiabit.

POSITIO VIII.

Non infringit sed firmat potius veritatem nostram VI. Consideratio sobria aequi & tuta.

E'n'g:

§. I. Coloratur sententia adversa, quod tribuat suum cuique, DEO quod DEI est, ut principis, homini quod hominis, ut causae organicae nec ulla ratione patrocinari fanaticis aut derogare ministerio Ecclesiastico. Sensum vero collativum genere organolatriam pag. 527. verum quid opus verbis facto contrariis? Nec DEO tribuitur quod suum, nec ministro quod suum, quandoquidem supra opponebatur Deus & homo *inops ac nudus*, extra organi effectivi conditionem, atque adeo huic partes illae demuntur, quas tamen ipsi Scriptura ipsa haud illibenter assignat, quae tandem injuria in DEV'M, ministerii autorem, omnino redundat, qui ordinarie alia ratione noluit nobiscum agere quam per ministros verbi sui, nihilque absolute suscipere, Luc. X, 16. Quis itaque negabit derogari ministerio, & patrocinium institui Fanaticismi, qui vivis & genuinis coloribus sic in ea sententia repraesentatur?

§. II. Roborat igitur & hoc argumentum causam nostram, Tutam enim esse, cum medium teneat, inter Pontificiorum dominatum & Fanaticorum inefficax ministerium; & aequam esse, cum Deum in fastigium causae principalis per mini-

ministerium agentis, ministrum in subordinatum locum organi non tamen inefficacis reponat, sponte ex ante dictis fluat. Organolatriam, si nimium ministerii cultum significare debet, a nobis explodi quis tandem non vider?

POSITIO IX.

*Non infringit sed firmat sententiam nostram
VII. Consideratio ac collatio legitima dictorum
Scripturae.*

E'nθ:

§. I. Merebatur haec argumenti ratio primo loco adferri. Ita perturbatur res, ubi male agitur. Afferuntur dicta quaedam p. 527. ubi ministris tribuitur $\alpha\pi\eta\mu\xi\zeta$ praedicatione remissionis peccatorum, ut Luc. XXIV, 47. Act. XIII, 38. Jam supra vero confessum est praecnonium hoc Apostolorum, seu caduceatorum, hi enim sunt $\alpha\pi\eta\mu\xi\zeta$, non esse NUDAM prae-
dicationem, & NONNISI annunciationem, sed talem, qualem
ipsis mandaverat Christus, in oraculis classicis de quibus mox
dicendum. Et pudore pene Scriptorem hunc superant Sociani,
qui Apostolos collativam absolutionem habuisse no-
biscum asseverant, quam tamen post eorum mortem expi-
ravisse & ad Christum rediisse somniant: Hic vero nequidem Apostolis talem collationem concedere vult. Ita Na-
thanis 2. Sam. XII, 13. annunciationem remissionis applicationem
organicam fuisse, praetereaque nibil, scribitur, fatis crasse,
quasi applicatio organica & muda declaratio aequipolleant, &
organica applicatio non etiam ipsa remissionis collatio esse
potuerit aut actu fuerit: tametsi Propheta formula solenni
absolutionis: Ego te abservo, non fuerit usus: quae tamen
interea frustra suggillatur.

§. II. Firmant itaque sententiam nostram omnia di-
cta Biblica, quae cum non sint unius ordinis, scopi atque
con-

contextus, respiciendum est ductu Exegeticae sanioris ad sedem doctrinae & fontem velut, ex quo lux ad omnia reliqua dicta petenda. Quis vero neget eum reperiri Joh. XX, 22. 23. in quo veritas orthodoxa de sensu collativo tam aperte fundatur, ut libere pronunciare queamus, pudorem eum omnem excusisse, aut malitia summa laborare, qui ei non assurrexit. Dicuntur vero ibi Apostoli, omnesque eorum veri successores, quorum munus hic instituitur, non modo annunciare remissionem peccatorum, sed revera remittere & servare seu retinere, in qua simplicitate verborum acquiescendum omnino est; additque Salvator dulcissimus originem hujus potestatis, quae est $\lambda\eta\psi\iota\varsigma$ Spiritus S. cum donis ministrantibus, (quibus etiam par erat, ut sanctificantia jungerentur; hic tamen ea non spectanda relatio, non enim est $\lambda\eta\psi\iota\varsigma$ Spiritus S. renovationis, sed vocationis & inaugurationis) quorum ornamenti ita instructi actu peccata dimittere hominesque poenitentes absolvere possent vers. 22. Hoc itaque praemissio loco reliqua facile explananda.

§. III. Obstare sibi hunc locum videt Autor Anti-B. p. 532. hinc eum post caretia postremo ordine collocatum deprehendimus his verbis: *Locum Johan. XX, 23. qui collationem aliquam prima specie denotare videatur, nequaquam aliter posse aut debere intelligi, quam in sensu declarativo, adeoque de annunciatione organica ministri.* Iterum confunditur declaratio nuda, cum annunciatione organica, quae si habeantur pro aequipollentibus, falsum est, nisi vis inferatur organi vocis, quae hic non admittenda. Sensum vero declarativum quomodo elicit ex clarissima voce *remittendi?* hoc arguento id efficitur: *Uti peccata retinemus, ita etiam remittimus: at retinemus non collative, sed declarative, Ergo eadem etiam ita remittimus.* Nos inverso ordine ad ductam verborum Christi: *Qualis est peccatorum remissio, talis est etiam reten-*

retentio; atqui illa est equidem ministerialis, collativa tamen, & potestativa actualis, alioqui non posset dici remissio, Ergo etiam retainio seu ligatio. Atqui excipitur, non ita peccata retinentur, ut efficiantur in peccatore? Respondemus, hoc non opus esse verbi ac ministerii, ut efficiat peccata, aut reatum in peccatoribus, sed ut reatum in poenitentibus tollat, & in impenitentibus post operam frustra exhibitat relinquat. Quid quaequo hic dubio aut titubatione opus?

§. IV. Excipitur porro: includi omnino sensum collativum ac realem, nimirum quoad peccata cum graviori scandalo adversus ipsam ecclesiam commissa. Bene est, quod Adversarius vinctus veritatis lumine aliquid concedat. Ultimam Deo tribueret honorem, & expenderet verba Christi, *Ἄντωνι ἀπόστολος αὐτοῖς διετράπειραν τὸν οὐρανόν.* Ubi quaequo ulla limitatio in verbis Christi de absolutione ad peccata quaedam vel reservata, restringenda? Et si de quibusdam remittendis habent potestatem, cur non de omnibus? Respondetur nobis, esse peccata talia in ipsis etiam ministros & Ecclesiam commissa, itaque si peccata, adversus seipso remittentes commissa, remittant, ea ipsis merito remittere non tantum declarative sed etiam realiter & effectivè! Proh Deum quorsum se confert veritatis contemtus! si illa remissio erat intelligenda, quid amabo opus erat institutione ministerii, cum hic sermo potius ad omnes homines pertineat? quid opus erat promissione ratificationis in coelis? & quid opus peculiari mandato ad apostolos? & talia facere etiam possent extra statum ministerialem constituti aut considerati, immo omnes homines per Christianismi leges tenentur? Ergone ministri & Apostoli suam personam agentes possunt collative absolvere a peccatis, potestate vero divina instructi non possunt? Ergone ἐκθέοσιλεια privata, cum absolutione ministri tam foede confundenda, & locus ille de ministerio, & consolatione dulcissima exinde fluente, agens tam indecorum corrumpendus?

E

§. V.

§. V. Eodem modo in abusum trahitur locus illustrissimus Matth. XVIII, 18, atque de sola fraterna correptione, aut ad summum de censura ecclesiastica explanatur. pag. 534 idque fusi exponit, ac LIGHTFOOTI explicatio in coelum tollitur p. 612. quam tamen omnia genuina exegeseos fundamenta destituunt, quomodo enim connectat cum reliquo sermone significatio ligandorum i. e. servandorum, & solvendorum, id est, omittendorum, oculus analogia fidei armatus conciliare non potest, sed dolet potius hominum deviorum infelicitatem, qui stramine pascuntur, ubi cibis vesci poterant; ut sane inhaerendum putemus iudicio B. Quenstedii de Lightfooti opinione interposito, quod cur posthabetur a dissentiente pag. 537. causas nullas videmus. Sufficit nobis locum illum Matthaei cap. 18. nec non alterum Matth. XVI, 19. cum Johanneo pro parallelo agnoscendum esse, & repetitio illa rem nobis potius dilucidare quam intricare videtur.

POSITIO X.

Non infringit, sed firmat sententiam nostram
VIII. Consideratio accurata Praxeos Apostolicae.

E' u'θ:

§. I. Objicitur, ne minimam quidem mentionem fieri realis collationis remissionis peccatorum, sed Apostolorum honorem soli Christi reliquise. Atqui quod potestatis Christus ipsis in institutione & inauguratione dedit usurpandum, quidni illud usurparent libere atque adhiberent? Contra mandatum ejus & intempestivae humilitatis fuisset vitium, si illud non fuissent executi, ad quod eos miserat. Cum itaque iis remittendi officium commiserit, quis dubitet illos fuisse eos usos?

§. II. Collationis praeterea mentio fit, quotiescumque dicuntur praedicavisse, baptizavisse. Imo etiam dicunt Petrus & Johannes, cum aurum, & argentum non habeant, daturos se

quod

quod possideant. Quid quaeſo illud erat? dixerit quispiam fuisse sanitatem corporis: non quidem reluctabimur, sed ſolam fuisse negamus, quandoquidem claudus reſtitutus laudabat Dominum, ac pertinebat inter regenitos & converſos: nec dubium eſt uti regeneratus eſt per illud verbum Apoſtoli, ita etiam revera a morbis peccatorum abſolutum fuisse. Act. III, 8. Quando Apoſtoli Johannes ſcribit, Epift. I. c. II, 12. ſcribo vobis quod remittuntur vobis peccata: idem ſane eſt, ac fi dixerit: remitto vobis peccata veftra! Quod vero eam formam verborum non adhibuerit, quis quaeſo Spiritum S. idecirco corripiat, aut dicam ipſi ſcribere audeat?

§. III. Confunditur vero ritus exomologeticus in ecclesia noſtra recep-
tus, (qui praeter rem a turbatoribus vapulari; ritus enim eſt pius, & ſufficit
verbo DEI non eſſe contrarium, tametis mandatum πν̄τὸν de omnibus ſin-
gulisque circumſtantiis non extet,) cum abſolutione miniſtri, praevia
aliqua, aut cordis, aut oris confeſſione peccatorum. Hanc ſane toties de-
ſcribi certiſimi ſumus, quoiescunq; homines per Apoſtolos, aut inte-
gras familias coetusque, converſos fuisse in Actis legimus: & tametis ipſa
vox collationis remiſionis ibi non extet, ſufficiebat eos hoc modo negoti-
um Apoſtolicum geſiſſe, ut ipſos vocaverat & instruxerat Christus.
Modus vero ille, ringente orco ipſo, fuit *actualis remiſſio*, non *ſALTEM*
verbaliſ annuciatio, etiamsi hanc non exclusam velimus, ſed potius pre-
ſupponamus, cum per ipſam hanc remiſſio auctu ab Apoſtolis fuerit donata,
& hominibus diſtributa, ſic enim loquente Apoſtolo per ipſius verba col-
lata ſunt dona Spiritus S. inter quae quis inficietur remiſionem peccato-
rum primo loco eſſe numerandam? Act. X, 44.

POSIТО XI.

*Non infringit, ſed firmat potius ſententiam Ortho-
doxam IX. Conſensus Librorum Symbolicorum.*

Enθ:

§. I. Mirum quod ad horum auſtoritatēm provocant, qui Eccleſiae noſtræ dogmatib; adverſantur, quum tamen eos ſatis contemtos ha-
beant, ac vilipendant. Noſtri tamen cauſa dum faciunt, gratos nos ha-
bent; interim cum stupore intuemur, quam foede illos diſciprant, &
contra omnem fidem interpretentur. Provocatur enim in Anti-Barb.
p.528. ad formulam antecedaneam conſentientium: Domine rogo te, ut mihi
remiſionem annuncies. Hoc eſſe debet quod volunt. Minime vero hinc
aliquid exterebrabunt, quod ad cauſam illorum ornandam pertinebit. Cum
enim

enim pii confessores ab hoc extremo Fanatico perinde, uti ab altero Pontificio serio sibi caverint, & utrumque sint detestati, quis credit eos sibi hic contradicere? Nolunt itaque quasi confitens petat *solum annunciationem remissionis*, sed simul potius *collationem ipsam*, sub ista voce satis emphatica contentam, subintelligunt. Jam vero a dissentientibus ea lis mota est, ut annunciationem declarativam, sine collatione remissionis obtrudere velint, quam confessores pii, perinde ac nos, a se remotam voluerunt.

§. II. Quicquid itaque in LL. symbolicis uspiam legitur de hac re, ne verbulo quidem sententiae heterodoxae patrocinatur. Refutat eos ipsa *absolutionis formula* dissentientibus adeo odiosa: *Et ego mandato Domini nostri Iesu Christi remitto tibi Tua peccata in N. P. F & SS. Amen.* Ibi prius confitens est interrogandus: *Num meam remissionem, credis esse DEI remissionem?* Affirmanti & credenti dicat minister: *Fiat tibi sicut credis.* Catech. Min. p. 380. Ita F. C. p. 808. Ideo privatam *absolutionem* retinemus, docentes, *DEI mandatum esse*, ut *absolutioni fidem* habeamus, ac certius statuamus, tam vere, quando verbis *absolutionis fidem* habemus, *DEO reconciliatos nos esse*, ac si vocem coelitus delapsam ea dñe audivissimus. Quam sententiam etiam *Apologia confirmat.* Statuunt ergo a ministro revera conferri remissionem peccatorum per annunciationem & declarationem, neutiquam vero concedunt esse *nudam declarationem*, quod Adversarii querunt: ut patet ex sequentibus verbis: *Haec vero consolatio eximia prorsus nobis eriperetur, si non ex vocatione, quae sit per verbum & Sacramenta de voluntate DEI erga nos statuendum esset, quin etiam fundamentum religionis nostrae everteretur, quod credimus Spiritum S. cum verbo praedicato, auditio & diligenter considerato, presentem atque efficacem esse & operari velle.* Collationem vero illam realem præterea docent Artic. XII. A.C. de Poenitentia, nec non Abus. IV. & Apolog. IV. p. 158. ubi notabile est, quod pii confessores, quando de *Absolutione* p. 331, agunt, *omnes Enthusiastas*, qui *jactant se ante verbum & sine verbo Spiritum habere*, & ideo scripturam sive vocale verbum judicant, *flectunt & reflectunt pro libito*, ut faciebat Monetarius. Quomodo itaque adstipulati fuerint illi errori, quem omni contentione animi aversantur?

POSITIO XII.

Non infringit sed firmat potius sententiam Orthodoxam X. Consensus Orthodoxorum.

§. I. Provocatur ante omnes alios ad CHEMNITIUM Anti-B p. 529. qui dicat

dicat *absolutionem ministri esse testimonium divinae absolutionis*, in Exam, Conc. Trid. Agnoscimus divi Patris verba, & illa approbamus, vellemusque, ut qui eum mala fide in suam sententiam citant, ejus doctrinis meliori constantia inhaererent. Quomodo enim exinde sequetur, eum habuisse *absolutionem ministri pro NUDE AC TANTUM declarativa divinae absolutionis*, & non simul *collativa*? Exhorrescas vero illam perversionem verborum Beatisimi viri, si audies quae in eadem pagina scripsit, quae est 221. de Confessione & Absolutione: Ibi enim definit *absolutionem*, quod sit ipsa vox Evangelii ANNUNCIANS remissionem peccatorum gratis propter Christum in genere omnibus, quae vox evangelii per privatam *absolutionem applicatur singulis*, & *fide accipienda sit*, ut singuli voci illi credant, sibi gratis propter Christum a DEO DONARI, per ministerium APPLICARI & OBSIGNARI remissionem peccatorum; ita pavidae conscientiae ex *absolutione consolationem accipiunt*, ut non dubitent ad se privatim quoque pertinere, sibi privatim a DEO donari, & applicari beneficia mediatoris. Et ne quis illud annunciare non insperatis postremis verbis *donationis, applicationis & ob-signationis* per ministerium factae, male interpretetur, adjicit sequentia: Inter Sacramentarios quidam disputant, per *absolutionem non remitti peccata*, cum homines non possint peccata remittere, id quod solius Dei est. Ideo disputant, in *absolutione* credentes nihil accipere, sed tantum esse externam declarationem, quid jam ante habent. Sed DEUS qui solus remittit peccata, non facit hoc sine medio, sed per ministerium verbi & Sacramentorum. Privata vero *absolutio annunciat vocem Evangelii*, per quam non dubium est, Deum efficacem esse, & peccata remittere illis, qui vocem evangelii in *absolutione* fide apprehendunt. In *absolutione* igitur Deus ipse per ministerium evangelii remittit peccata singulis creditibus: arque HOC MODO *absolutio ministri, testimonium est divinae absolutionis, unde conscientia testimonium habet, sibi vere a Deo remissa est peccata*. Quid quae so magis directe adversum est sententiae dissentientium? neque tamen verentur, obtorto collo aliquid exinde rapere, ut videatur cause inservire. Quis se facile contineat, ne mitissimo nomine impudentiam dixerit, legem mala fide adducere, & in plane contrarium sensu citare.

§. II. Testium loco adducuntur porro uterque CALIXTUS, Pater & Filius: non vero de illis laborabimus: eorum eruditio nem laudamus: analogiae fidei custodiā mallemus majorem habuissent, multis sic turbis caruisset aliquando ecclesia: si sensu eo velint sua verba intelligi, quo explanantur a dissentientibus, in hunc censum minime venire possunt. Nemo enim ex Orthodoxis sic docuit unquam. Nam & UR-

BANUS RHEGIUS Theologus sincerus, & qui alios etiam caute loqui ac sentire voluit, illi sententiae nunquam patrocinatus est. Si quando enim hic & alii de annunciatione sensu exclusivo agere videntur, non excludunt collationem, sed Pontificiorum, ultra quam par est, extensam potestatem, ita ut si quando huic diaconicam potestatem opponant, eam nolint sine reali collatione intellectam, sed aut ipsi se ita explicent, aut explicari sic velint. Ita STEGMANNUS in Photinianismo, ubi de hoc argumento contra Socinianos disputat: *Non tantum cohonestandi gratia potestatem istam ministris tributam esse adjicit, sed vere & proprie, sic enim Petrum vere Cornelii domum, sic Paulum discipulos Epheborum vere Spiritu S. replevisse.* p. 695. Non itaque sui obliti, quod dissentiens p. 531. male ipsis objicit, nostrates nonnunquam absolutionem annunciationem dixerunt, sed ab ea actione, quae auribus sensuque percipitur, rem ipsam denominarunt, neutiquam vero talem annunciationem voluerunt concedere, quae saltem sit declarativa, & absque actuali collatione. Atque sic magnam nubem testium sincerorum adduci in nostram causam posse, quilibet nullo negotio assequitur, tum vivorum tum mortuorum, si opus sit; permitteremus interea dissentientibus, si de sua sententia bonorum Viatorum, & rei satis intelligentium, assensum producere queant. Nobis vero etiamsi testimonia illa nostratum, auro contra cara sint: multo jucundius tamen est adhaerere instituto Christi, atque exinde omne causae pondus derivare.

POSITIO XIII.

Non infringit, sed roborat potius sententiam Orthodoxam nostram XI. Erroris Pontificii affinitas objecta.

Eνθ:

§. I. Errorem Pontificium in sententia de collatione latere, falsofime aliis perfradere cupit Antib. p. 531. additique: *Quemcumque enim colorem barbarismo huic inducant Pseudorthodoxi, res tamen ipsa, et si cum aliqua phrasologiae diversitate, redit ad errorem Pontificium, saltem in ejus affinitatem.* Satis crassa barbaries est, barbarismis accensere doctrinam Evangelicam, cui nemo, nisi heterodoxus hudem contradixit! Velim sane vel hujus audaciae flagitaret veniam, qui talia scribit, & sinceros Viros Pseudorthodoxorum nomine proscindit. Quid Pontificii doceant, supra ex Concilio Tridentino expositum est, & quam nullum plane commercium sit medii cum alterutro extremo, hinc facile potest liquere.

§. II.

§. II. Caeterum cum Pontificiis ne quidem colludit judicialis potestas, quam reste intellectam nonnulli nostratum ministro ecclesiae concedunt, quatenus nimirum notat facultatem examinandi *confitem*, ejusque actiones ad regulam decalogi; judicium vero designat sententiam non arbitrariam, sed rationabilem, & ad normam divinitus *scriptam*, *restrictam*. Multum enim a Pontificiorum judicio & potestate judicandi discrepat; & isto sensu B. HULSEMANNUS ipse statuit, omnino necessariam esse in ministro absolvente *potestatem cognoscendi*, *judicandi* & *absolvendi*, nec non *clavem discretionis*, quae sine cognitione & judicio esse nequit. Praelect. in F. C. p. 529. Tale etiam judicium, talem cognitionem ac potestatem, subordinatam potestati Christi committentis, largitur CHEMNITIUS l.c. Has vero nostratum sententias tantum a Pontificia distare, quantum coelum a terra, coecus sit qui non intelligere velit, ut his immorari opus non sit.

§. III. Hoc vero certum est nobis atque exploratum, sententiam adversam Reformati, Socinianis, Arminianis & Fanaticis omnibus esse communem; Nec disfateri posse Autorem Antib. p. 541. videmus, ubi haec leguntur: *Quod si quis adhuc objicit, hanc sententiam alias referri inter dogmata heterodoxorum, noverit, se principium, quod dicimus, petere, nec distinguere inter dogmata alicujus ecclesiae characteristica, & inter dogmata cum aliis communia, seu orthodoxa.* Admittamus tantisper distinctionem, non tamen bene accommodatam videamus; petitur enim principium, dum hoc dogma orthodoxum, & cum ecclesiae nostrae doctrinis conforme proclamat, quod a tota ecclesia orthodoxa fuit rejectum, tanquam ab institutione ministerii plane ab ludens, & in ipsum Christum instituentem prorsus injurium. Ad characteristica itaque dogmata pertinet, quorum characterem, si cui visum sit adsciscere, jam se a corpore sincero aut separavit, aut separaturus est.

POSITIO XIV.

Tandem non infringit, sed roboret hanc orthodoxam sententiam nostram XII. idiotismus sermonis Sacri.

E' n' d:

§. I. Idiotismus in eo consistere dicitur, quod verba, quae rea-
liter aliquid efficere aut fieri Grammatice significant, intelligenda sint
de rei indicatione, seu annunciatione & declaratione. Verum exempla
allata id non evincunt, quod de sola indicatione & declaratione talia
loca

loca sint explananda, sed quaedam simul collationem realem innunt: qualia sunt Rom. IV, 15. VII, 11. 2. Cor. III, 6. De quibus falso est, quod annunciationem tantum indicent, cum facile ostendi possit realem simul notionem habere *voces decipiendi, operandi, occidendi ac operandi* & alia plura, ita ut non negare velimus, si vox remittendi huc referatur, habere eam significationem *annunciandi*; sed hoc inficiamur, quod TANTUM declarationem denotet, per illam enim annunciationem & declarationem ipsam remissionem ac veniam conferri, satis est consequum.

§. II. Itaque potius hi Canones erunt notandi. I. quod quotiescumque in verbo Dei aliiquid dicatur, peccatoribus annunciar, hoc de reali simul rei annunciatae collatione sit intelligendum, quod ipsa evangelii vox satis innuere potest, quod uti concio de Christo est, ita etiam *divina* est divina salvificandi Rom. I, 16. Ita Christum praedicare, nihil aliud erit quam credentibus ejus meritum applicare 1. Cor. I, 18. II. quod quoniā illa annunciatio realis aliter secundum ordinatōrem fieri nec queat, nec debeat, quam per ministrum verbi: intelligendum etiam sit ministrum Ecclesiae, quando dicitur annunciar beneficia evangelica, simul ea credentibus conferre, & obsignare; Quorum pertinent omnia dicta, in quibus dicuntur annunciare vitam, gratiam Dei, & alia ejusmodi. III. quod loquendi rationes Spiritus S. circa actiones Gratiae ejus applicatrices non declarative, sed realiter effective & collative sint interpretandae, ut *aperire oculos, erudire, regenerare, convertere, salvare*, nec excludi debere remissionem peccatorum. Frustra enim excipitur, *hujus aliam esse rationem* (Antib. p. 537.) quasi minister quidem fidem organice officiat, non tamen fidei effectum, seu remissionem peccatorum: siquidem causa causae etiam causa causati haberit, si causae nimirum debite sibi subordinentur, ut quidem hic evenit, ubi ministrum diximus causam conversionis physicam, quidni etiam remissionis peccatorum inde consequentis? Ministri vox enim potestatem a Deo concessam non immunit, sed potius amplificat. Supererant & alia, quae tum ad veram causam defendendam, tum profligandam fallā, addi poterant, aut etiam debebant, allii tempori reservanda. Haec interea sufficere possunt, quo amore veritatis in gloriam Numinis scripsimus, oculisque recte judicantium exponimus. Deus vero coetus sui curam porro gerat, eumque inter omnes tentationes invictum praestet. Benignus est enim invocantibus eum, invocantibus eum serio: Fidelis est & bonus, qui, quod ab ipso precamur, abundantissime

FACIET!

94 A 7368



KD A



Farbkarte #13



B.I.G.

Q. D. B. V.
THEOLOGICA INAUGURALIS,
DE
TURA
LUTIONIS
NGELICAE
I TEMPORUM CAUSA
NSTITUTA,
QUAM
EMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
MO PRINCIPE AC DOMINO,
RICO AVGVSTO,
GIO ET ELECT. HEREDE,
PRAESIDE
O CHLADENIO,
DEMQUE P. P. NEC NON ALUMN.
LECT. EPHORO,
LICENTIA
OGIA HONORES CONSEQUENDI
MART. A. O. R. MDCCLXII.
ET POST MERIDIEM STATIS
DEFENDET
STIANUS BUCKIUS,
TORGENSIS SYMMYSTA, NUNC EJUSD.
ARIUS AC SUPERINTENDENS
DESIGNATUS.
AE, LITERIS GERDESIANIS.